



## **Reuerendi Patris P. Hieremiæ Drexelii e Societate Iesu Opera omnia**

Duobus nunc Voluminibus comprehensa, & libellis ante hac non editis  
aucta ; Illvstrata, Indicibvs Moralibus, Locorum S. Scripturæ, Capitalium  
Mysteriorum fidei, Rerum, & Concionum quouis anni tempore habendarum  
; Congestis Et Compositis Methodo prorsus, alijs Auctoribus inusitata ; Sed  
Theologis ...

**Drexel, Jeremias**

**Antverpiæ, 1643**

50. Orationes tres pro felici exitu ex hac vitâ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77028](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77028)

camus, planè pudendâ mendicitate. Amicos, inimicos, in nostri subsidium lacellimus; opem omnium imploramus: solum Deum præterimus, aut omnium adimus ultimum, aut sæpe nec adimus quidem rogando solatio. Quæ hæc infânia est; iuvare velle à quibus non possis; ab eo iuvare non cuperè, à quo uno & possis & debeas?

**P**rimus gemitus ad Deum mittendus. *Ps. 39. v. 8. legatum.*  
 Ergo quodcumque & quotiescumque tibi malè est, primus omnium gemitus, primæ preces, primæ querelæ & voces ad eum eant: Deo exponere tuam causam, tuæque omnia quæ pateris. Quid discursas per orbem, & ante mendicorum tuguriola mendicis sispem flagitas? Quid transvolantibus rhedis blanda iactas balia inæsalum? Ad divitis illius januam procumbe, qui salvare possit animam tuam de necessitatibus. Ita Moyses fecit, qui in omni dubio recursum iteravit ad tabernaculum, in quo Deum audivit confutorem. Sic Iosue deceptus à Gabanonitis est, quia os Domini non prius interrogavit. Ad Deum in omni re, præsertim adversa, recurendum. Mulier illa quæ erat in profusivo sanguinis annis duodecim, & fuerat multa perpessâ à pluribus medicis, & erogaverat omnia sua, nec quidquam profecerat, sed magis deterius habebat; tandem ad medicorum medicum venit, à quo uno, momento unico impetravit, quod à pluribus non potuit per totum duodecennium. Maximi refert scire, à quo beneficia postules. Extremæ inopiæ argumentum est à medicis mendicare.

§. 50.

**D**iximus recurendum ad Deum in omni re. Ergo etiam felix obitus, non ab alio quàm à Deo pendendus. Ejus rei brevissimum paradigma subijcimus.

I. ORATIO.

**O**CTO VERSICULI E PSALMIS DAVIDICIS à S. Bernardo selecti, quos ipse quoties pro felici mortis horâ dixisse traditur.

*Ps. 12. v. 4.* Illumina, Domine, oculos meos ne unquam obdormiam in morte: nequando dicat inimicus meus, prævalui adversus eum.  
*Ps. 30. v. 6.* In manus tuas commendo spiritum meum: redemisti me Domine Deus veritatis.  
*Ps. 38. v. 5.* Locutus sum in lingua meâ, notum fac mihi, Domine, finem meum.  
 Et numerum dierum meorum, quis est aut sciam quid desit mihi.  
*Ps. 85. v. 17.* Fac mecum signum in bonum, ut videant qui oderunt me, & confundantur, quoniam tu Domine adjuvisti me, & consolatus es me.  
*Ps. 115. v. 7.* Dirupisti Domine vincula mea: tibi sacrificabo hostiam laudis, & nomen Domini invocabo.  
*Ps. 141. v. 5.* Perit fuga à me: & non est qui requirat animam meam.  
*Ps. 138. v. 6.* Clamavi ad te, Domine, dixi, Tu es spes mea, portio mea in terrâ viventium.  
 Omnipotens sempiternus Deus, qui Ezechia regi te lacrymabiliter deprecanti, vitæ spatium protendisti; concede mihi indigno famulo tuo ante diem mortis meæ tantum vitæ spatium, ut omnia peccata mea valeam deplorare, & veniam ac gratiam, te miserante, merear accipere.  
 Omnipotens, benigne ac misericors Deus, te oro humiliter per mortem Filii tui, concede mihi horam felicem ac beatam, cum anima mea discessura est e corpore.  
 Domine Iesu Christe crucifixæ, per illam amaritudinem mortis, quam sustinisti pro me in cruce, maxime cum anima tua egressa fuit de corpore tuo, misere anime meæ in egressu suo. Qui vivis & regnas cum Deo Patre & sancto spiritu, &c. Amen.

II. ORATIO.

PRO FELICI EXITU EX HAC VITA.

**M**isericordissime Domine Iesu, si sic agitur cum homine morituro, & in talibus periculis & angustiis erit vita spiritus mei ex hoc sæculo migraturi, quò fugiam nisi ad te Deus meus? tu erue animam meam, ut non pereat in horâ illâ tremendâ: præsta mihi obsecro secundum multitudinem miserationum tuarum, & per illum amoris æstus & dolorem, quò ipse, qui vita es, mori pro me voluisti, ut mortis corporalis agonem semper præ oculis habeam, & hoc agam modò vivens, quod moriens optarem me egisse, utque nullâ in te tantum opere ac studii ponam, quàm ut mihi ipsi spiritualiter moriar, & cunctas sensuum meorum mortificem passiones, sicque tecum post hanc vitam felix ac beatus vivam in æternum.

III. ORATIO.

EFFICACISSIMA HYGONIS DE S. VICTORIS, PRO OBTINENDO SS. EUCHARISTIAE VIATICO IN EXTREMIS.

**O**dulcissime ac benignissime Domine Iesu Christe, ob tui sanctissimi corporis reverentiam, quod ex intactâ Virgine Mariâ simpliciter, concede mihi misero peccatori, ut corpus tuum pretiosissimum animæ meæ finalis sit refectio, Amen. Pater noster, &c. Ave Maria, &c.

O dulcissime & amantissime Domine Iesu Christe, propter nomen tuum sanctissimum, concede mihi misero peccatori, ut gloriosissimum nomen tuum, quod est Iesus, sit mea finalis locutio. Amen. Pater noster. Ave Maria.

O dulcissime ac clementissime Domine Iesu Christe, propter Passionem tuam acerbissimam, concede mihi misero peccatori, ut tuum in cruce ineffabile tormentum sit mea finalis cogitatio, Amen. Pater noster. Ave Maria.

O dulcissime ac misericordissime Domine Iesu Christe, propter tuam omnem sanctissimam vitam concede mihi peccatori miserimo omnes affectiones, cogitationes, & operationes meas in sancta tua vulnera defigere, Amen. Pater noster. Ave Maria.

O dulcissime ac piissime Domine Iesu Christe, propter omnes miserationes tuas, imprime cordi meo tuæ mortis exinanitionem, & omnium vulnerum tuorum passionem. Amen. Pater noster. Ave Maria.

CORONIS PRIMI CAPITIS.

AD LECTOREM.

**H**oc age, hoc cogita, mi homo, & dum sanus es, discite agrotare, discite mori. Utrumque rare arduis est, quam utrum scia, experiri non licet, nisi cum errare non licet sine dispendio æternæ felicitatis. Moriendo semel tantum erratur, sed hic error nunquam emendatur in omnes æternitates.  
 Quapropter tanquam migraturus semper habita: ex parte verò maximâ tecum habita, & quotidie omnes conscientie tuæ latebras explora. Quidquid circa te jacet rerum, tanquam hospitalis loci sarcinam specta. Non licet plus efferre, quàm intuleris. Ergo age & satage, Deo te proba. Transendum est. Omni momento ad ostium æternitatis te stare cogita. Transendum est. Tota nobis imminet ÆTERNITAS. Brevis est voluptas, supplicium æternum; modicus est labor, præmium sempiternum.  
 Sanum ergo instruximus: mortem contempnendam, sed mortis memoriam nunquam deponendam esse monuimus. Idem nunc monebimus. Agrotum.

CA-origo est.